

**05**

**A**

**1931**





DISPUTATIO PHYSICA  
DE  
COELO,

44

*Quam*  
DUCE AC AUSPICE CHRISTO,

*In*  
Florentissima ad Albim Academia,

SUB PRÆSIDIO

VIRI

CLARISSIMI ATQUE EXCELLEN-  
TISSIMI,

DN. M. JOHANNIS Sperlings /

Physicæ Professoris Publici Dignissimi, Præcepto-  
ris, Fautoris & Promotoris sui omni observantiæ  
cultu suspiciendi,

*Publicè examinandam proponit*

JOHANNES PEZELIUS

Lengenfeldensis Variscus, A. & R.

*Ad diem II. Januarii,*

In Auditorio Majori, horis matutinis.

---

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.  
Anno c<sup>o</sup> 1<sup>o</sup> CXLIV.

46

V I R O  
G E N E R O S O , R E V E R E N D I S S I M O , N O B I -  
*lissimo, ac perquam Strenuo,*

**DN. CAROLO BOSEN,**

Nitschæ, Super: & Infer: Mylau, Elsterbergæ, Len-  
genfeldæ, Crimmitschau, Schveinsburgi, Lauterbachii, Schin-  
dell, Fuchshain, Coschitz, Grosen Saræ, & Korbiz &c. Toparchæ  
Eminentissimo, Sereniss: Elect: Sax: Præfecto Militari legionum,  
cùm Equestris tùm Pedestris Meritissimo, Dn. Patrono &  
Promotori suo, suorumq; omni observantiæ cultu  
prosequendo:

*Nec non*

V I R O

*Admodum Reverendo, Amplissimo atq;  
Excellentissimo,*

**Dn. BALTHASARI BALDUINO,**

S. S. Theologiæ Doctore Celeberrimo, Pastori ac  
Superintendenti Ecclesiæ Cygneæ Vigilantissimo, Mecæ-  
nati, Patrono, ac Promotori suo atatè colendo,  
suspiciendo.



In debitæ gratitudinis argumentum  
&

Ulterioris erga studia sua favoris in-  
citamentum

*ea, quâ par est, animi submissione nun-  
cupat*

Johannes Pezelius,  
A. & R.

05 A 1937

## Præloquium.

**Q**uod in viridario aliquo specioso obambulanti evenire solet, ut varietate, jucunditate, & elegantia omnis generis plantarum, totus in admirationem imò obstupescationem abripiatur, & animo consternatus, nunc florum pulcherrimorum, aliarumve herbarum odoratarum acceptam jucunditatem, nunc colorum gratam varietatem, nunc odorum amœnam suavitatem, nunc suaviorum sapidorum desideratam amœnitatem, nunc hoc nunc aliud animo versans, nescius sit quidnam eligat ac præ cæteris decerpatur ac delibet. Idem & in viridarium Physicæ amplissimum & exornatissimum descendenti accidit, ubi animus etiam rerum præstantissimarum jucundâ suavitate, suaviq; jucunditate ac varietate ita perfunditur, ut incertus fermè reddatur, cujus præ cæteris suavitatem & dignitatem deligat ac delibet. Cùm itaque jam ex thesauro naturalis scientiæ aliquid esset desumendum, pulcherrimum illum florem, *cælum* nimirum primum magni istius voluminis folium (tribus enim tantum totam hanc universitatem constare, veteres eruditè dixere) considerare, ejus naturam cum affectionibus explicare recepimus. In hoc enim omnipotentia, sapientia & bonitas Creatoris quàm maximè effulget. Non enim propterea factos & creatos nos esse statuimus, ut cælum videremus & Solem tantum, quod Anaxagoras putavit, sed ut Artificem Solis & cæli, DEUM nimirum Ter Optimum Maximum exinde cognoscamus, purâ & integrâ mente colamus. Qui scopus, ut præsentis quoque sit instituti, & eventus intentioni respondeat, suppliciter invocamus DEUM, rogantes, ut sua gratia nobis præluceat, & in abditissima naturæ adyta nos intrmittere dignetur. In tria verò membra totam dispescimus disputationem, ita quidem, ut primum *Ὀνομασολογίαν*, secundum *Πραγμασολογίαν*, tertium *Ζητηματολογίαν* exhibeat.

*Tu Deus Alme precor nostris allabere cœptis!*

# MEMBRUM I.

## THESIS I.

**E**Xordimur nunc telam nostri propositi, & statim in Exordio ab ὀνοματολογία rectè initium facimus, ut de definitione nominis nobis constet, quâ in definitionem rei solemus deduci, quippe nomina sunt signa formas rerum exprimentia, seu ut Scaliger ille subtilitatis aquila loquitur, quasi involucta & rerum cubilia *Exercit. 1. Sect. 1.* In vocis autem explicatione tria solent occurrere, *Excellentif: & acutissimus Dn. Scharff: in Institut: p. 842.*  
1. ὀμωνυμία nominis multiplex significatio. 2. Πάρεωνομία seu nominis genuina derivatio, & 3. denique Συνωνυμία nominis cum aliis in significatione communio. Ordine de singulis.

II. ὀμωνυμίαν quòd concernit, variæ sunt significationes cœli, tum apud Theologos, tum apud Philosophos, quamvis in quibusdam amicè conspirent. *Illis quidem cœlum sumitur (α) pro ipso DEO. (β) Pro Divina gloria & Majestate infinita. (γ) Pro cœlesti statu beatorum vel æternâ vitâ & lætitiâ. (δ) Denique sumitur pro habitaculo vel πᾶν Angelorum beatarumq; animarum. Communiter indigitatur cœlum beatorum. Quæ significationes omnes pertinent ad Cathedram Theologorum, & huc non quadrant.*

III. *Philosophicè & naturaliter* verò cœlum sumitur (1) pro toto expanso, quod à superficie globi terrestris ad extrema usque cœlorum culmina extenditur, & continet in se omnes inferiores cœlos aut horizontes. (2) Pro aëre terram ambiente, ut dabo vobis cœlum sicut ferrum. Hinc volucres, cœli volucres dicuntur, & hoc cœlum commodè vocatur aëreum. (3) Pro climate, seu cœlo nostro aut proprio alicujus regionis. ut erunt cœli tui, qui sunt supra caput tuum, ferrei. Hinc etiam Deus minatur se sparsurum Judæos in omnes cœlos, i.e. regiones. Unde etiam versiculus: *Cœlum, non animum mutant, qui trans mare currunt.* (4) Pro toto mundo seu toto hoc universo. (5) Denique pro cœlesti corpore Elementa claudente & ambiente. Appellatur sidereum, quia in eo continentur stellæ, tam erraticæ, quàm fixæ. Vocatur etiam cœlum stellatum, & hoc postremo modo hîc accipitur.

IV. Expli-

IV. Explicatâ jam *Ομωνυμία* ordine, sequitur *Παρωνυμία* seu Etymologia. Hanc quod concernit, Latini valdè variant. Alii vocabulum cœli deducunt à celando seu occultando, quia intra cœlum continentur & occultantur res omnes. Aliis à cælando: cælari autem dicuntur aurifabri, aut alii hujus generis artifices, quando in aurum politum pulcherrimas figuras sculpendo inferunt; ita cœlum à summo Artifice Deo speciosissimis imaginibus & emblematis quasi vermiculatum est, stellis nimirum & facibus illis lucidissimis. Aliis derivatur à Græco *κοῖλον* cavus. Cœlo enim maximè cavitas convenit ratione nostri, qui è profundâ terrâ in sublime cœlum, quo undique ambimur, oculos vertimus. Unde veteres Latini scripsere non cælum vel cœlum, sed coilum.

V. *Συνωνυμία* quod concernit, est illa vel Hebraica vel Græca vel Latina.

VI. Hebræis dicitur cœlum *שָׁמַיִם* quam nonnulli deducunt ex *שָׁמַיִם* ibi & *שָׁמַיִם* aquæ. Aliis ex *הִתְפַּחֵל* quod in hitpahel stupere significat & *שָׁמַיִם* quod stupendo modo aquæ illic suspensæ hæreant, donec Dei nutu demittantur. Alii aliter, sed hæc omnia suis defendenda linquimus Autoribus. Aliis etiam dicitur *עֲרֵבָה* ab expansione vel extensione, veluti cum pellis aut aulæum extenditur, aut metallum malleo deducitur & attenuatur. Unde etiam vocatur expansum, in vulgata firmamentum LXX reddiderunt *σπεραίωμα*, Lutherus die feste des *Himmels*.

VII. Græcis communiter appellatur *αιθήρ* æther cœli & siderum substantia: ab *αἰεὶ* *ἵεω* semper curro, astrorum enim perpetuus motus est. Alii ab *αἶθω*, uro, ardeo, quia insigni splendore gaudet. Item *ὄρανος* quasi *ὄργανος* ab *ὄραω*, quod visui pervium, & minimè densum. Poëtis vocatur *ὄλυμπος*, altus mons inter Thessaliam & Macedoniam: Thessaliæ tamen ascribitur. Quia autem Olympus est altus mons, accolæ ejus summitatem cœlum vocant; atque hinc pro cœlo apud Poëtas frequenter legitur. Huc pertinet Etymon, quod sit tanquam *ὄλαμπών*, i. e. totus splendens.

VIII. Latinis dicitur cœlum, etiam firmamentum *Gen. i. v. 8.* (Lutherus vertit *Feste*) tum ideò, quia sit solidissimum ac firmis-

firmum : tum etiam, quia quasi fundamentum totius ædificii aut opificii mundi sit. Sive quod verbo Dei ita firmatum, ut illo stante, nullâ vi externâ corrumpi queat. Sed de his securi sumus, totam hanc disquisitionem Grammaticis linquimus.

## II. ΠΡΑΓΜΑΤΟΛΟΓΙΑ.

IX. Cum extra omnem controversiam sit positum, Cœlos esse, (nam quia sanus hominum hoc inficias ibit? nemo Idiotarum, nemo Philosophorum hoc unquam negavit) & quidem per se subsistere, sicq; substantiæ inhabitare prædicamento, missi jam Ὀνοματολογία seu definitione nominali, accessum ad πραγματολογία seu definitionem realem faciamus, ejusq; causas & affectiones quasdam exquiramus.

X. Definitio autem ex Institut: *Physicis Clarissimi atq; Excellentissimi Domini Præsidis talis est* : *Cœlum est corpus naturale simplex, amplissimum & subtilissimum, commune astrorum currentium receptaculum.* In qua definitivâ (potius descriptivâ) oratione duo consideranda veniunt, genus nimirum & differentia, ex quibus omnis definitio componitur.

XI. Genus est corpus naturale simplex. Corpus esse cœlum facile constat, hodieq; in scholis Physicorum est receptum, cum enim cœlum materiâ & formâ constet, ut infra patebit, necessariò corpus est. Quod verò quidam Philosophi cœlum spiritum dixerunt, id non ἀπλῶς sed κατὰ τὴν seu συγκριτικῶς intelligendum, in respectu ad reliqua corpora sublunaria mixta, quæ tantam subtilitatis naturam neutiquam habent. Naturale verò est, quia naturam naturalesq; affectiones habet. Simplex corpus est, quia mixtionis expers est. Non enim attribuimus ipsi talem simplicitatem, qualem solummodò spiritus, ut animæ, Angeli & Deus ipse habent, & dicitur absolutè simplex; uti ex Metaphysicis constat, sed dicitur simplex in certo genere, quæ ponit negationem mixtionis, non verò formæ & materiæ.

XII. Genere inquisito, recto pede ad alteram definitionis partem, videlicet ad differentiam specificam esset properandum, sed quia hæc nos latet, ejus loco accidentia quædam nominamus. Verùm cum hæc sint affectiones cœli & ultimo loco tractandæ videantur, ideoq; rejectis affectionibus ad calcem, ad causas cœli nos convertimus.

XIII, Sunt



XIII. Sunt verò causæ duplices, vel enim sunt *βοίαι*, seu internæ, quæ corporis naturalis essentiam ingrediuntur, ut materia & forma, vel *τῶν ἐκτὸς* seu externæ, quæ corporis naturalis essentiam non ingrediuntur, sed extrinsecus illud constituunt, ut Efficiens & Finis.

XIV. Materiam quod attinet, certè tam confusus, tam varius & multiplex flexuosarum atque intricatissimarum opinionum cinnus nobis sese offert, ut non aliquid certi fermè de ista serere possimus. Verùm melioris ordinis ac doctrinæ causâ duas quæstiones nobilissimas, plurimorum, multis jam seculis, Philosophorum disputationibus agitata ventilabimus. 1. *an in cælo sit materia?* Et si est, perpendemus. 2. *quenam & qualis ea sit?* Ubi tamen statim monendum, quod hîc non agamus, de materia cœli constituendi, sed constituti.

XV. Materiam cœlum habere, probatu facillimum est. Multis quidem piaculum fuit, cœlo materiam apponere, putarunt enim ipsum adeò simplicis esse naturæ, ut omni prorsus materiâ careat. Hujus opinionis propugnatores habemus Averroëm, Piccolomineum & Zabarellam, qui cœlum corpus naturale simplex esse, nec tamen materia nec forma constare asserunt, neque quid ex his compositum, sed quoddam medium inter hæc, formam nimirum quandam naturam per se consistentem, præditam dimensionibus, aptamq; ad motum localem, *vid. D. Sennert. lib. 2. cap. 2. p. 158.* Commoti verò videntur carentia transmutationis substantialis in cœlo & interitus. Exinde collegere, nullam quoque adesse materiam, quia nulla ibi corruptio. Verùm hæc sententia admodum lubrico stat talo, & sine causa excogitata esse videtur. Nulla enim est consequentia; In cœlo non datur substantialis transmutatio & interitus, ergò non habet materiam: non enim est perpetuus nexus inter materiam & corruptibilitatem, quia corruptionem infert non materia quævis, sed composita.

XVI. Verùm relictis his opinionibus falsis, materiam cœli probamus. 1. Quia cœlum dicitur corpus naturale, proinde materiam utique tanquam partem essentialem constituentem habebit: Itaque nisi panem sine farina, & somnium sine somno facere velint, cœlum materiatum esse fateantur oportet. 2. Materiam  
cœli

cœli probamus ex affectionibus; affectiones enim propriæ, præsupponunt subjectum proprium. Jam verò cœlo ascribitur quantitas, quæ materiam, tanquam proximam sui causam necessario subinfert. Ubiunque igitur adest quantitas, ibi necessario subest materia, quippe quantitas est immediatum materiæ consequens, nec ulla forma aut accidens quanti nomen meretur, nisi ob materiam, cui inest.

XVII. Evidenti itaque atque demonstratâ cœli materiâ, videndum est, quænam & qualis illa sit. An eadem sit cum inferiorum corporum materia, an verò distincta, adeò obscurum est, ut quicquid hîc etiam statuas, facile, quo te defendas, aliquid invenias. Nobis materia cœli simplex est, non composita, ut in metallis, aut magis composita, ut in animalibus.

XVIII. Materiam cœli non esse eandem cum reliquorum corporum inferiorum materia, facile patebit, consideratâ formâ cœli, si enim alia forma cœli ac reliquorum corporum inferiorum, omninò alia etiam erit materia, ratio, quia inter materiam & formam danda proportio: alia forma, alia materia, tam in compositis, quàm in simplicibus. Non enim forma quælibet quamlibet informat materiam, sed certa certam.

XIX. Sunt quidem nonnulli, dicentes, materiam cœli à sublunarium non esse diversam, & ideò extra manifestam rationem & necessitatem entia in naturâ non esse multiplicanda: Deus enim & natura nihil agunt frustra, sed quam fieri potest brevissimis, quod ajunt, agunt lineis *Scalig: Exercit: 61. Sect: 1.* Verùm, si rem propius spectamus, apparebit, cœlum non esse igneæ naturæ, ut Trismegisto, Platoni, Pythagoræ, Heraclito, Stoicis & aliis placuit, aliàs superiora nò tam virtualiter quàm formaliter calidæ essent: non esse aëreæ, ut Diogenes olim statuit, imò etiam adhuc hodie nonnulli, cœlum non ex aëre, sed ipsum esse aërem asserunt, quia aër hoc non præstat quod cœlum; non aqueæ, non terreæ materiæ cœlum esse quis dicat, nisi qui aquas, quas cœlum dividit, & terram cœlo miscere velit. Nec denique ex his conflata naturam habere potest, quia quibus simplicia negantur, illis etiam negabitur id, quod ex simplicibus constat.

XX. Monstratâ cœli materiâ, ad formam ejus meritò nos accingimus.

cingimus. De forma cœli non minus variè disputatur quam de materia. Sunt qui negant cœlo formam inesse, propriè dictam, per quam est, quam vulgò informantem appellant, quippe putant cum Zabarella cap. 2. & 3. de natura cœli, ipsum esse corpus simplex, & physicæ compositionis expers. Quapropter & Piccolomineus expressè c. 20. lib. de cœlo, cœlum non judicari debere, ac si ab aliquâ formâ formante sit constitutum, sed ut corpus simplex & actu ex se, cœlum non egere forma, ut sit actu, ex se enim esse tale. Verùm quemadmodum cœlo propriam assignamus materiam, ita & propriam formam, per quam corpus naturale, tanquam per alteram causam internam, seu partem essentialem constituitur. Deinde patet etiam forma cœli ex qualitatibus, ut enim quantitas materiæ affecla, sic qualitas formæ. Imò quicquid habet materiam, habet etiam formam; non Assistentem forsitan, sed informantem.

XXI. Informantem dico. Non paucos in hanc sententiam inivisse constat, ut formam cœlo assistentem ascribant, ac per eam intelligentias intellectas velint, teste Zabarella de natura cœli c. 1. Inquit: Sicuti inferiora corpora per superiora, ita superiora per spiritum vite quodam ordine reguntur. Hinc Aristoteles numerum intelligentiarum posuit secundum numerum motuum, qui in cœlestibus corporibus, seu stellis apparent. Quot igitur sunt orbis cœlestes, tot quoque ex sententia Aristotelis erunt intelligentiæ. Ast falluntur hi viri. Habet enim cœlum esse suum, habet affectiones suas. A quâ quæso forma? Assistens non dat esse, non dat affectiones, sed ad operationes tantum concurrat. Informans ergò forma ponenda & ponderanda. Et quale hoc officium Intelligentiarum, tanquam ligationes rotis cœlestibus alligari; & in movendo cœlo defudare?

XXII. Sunt etiam nonnulli, qui cœlum animatum esse dicunt, & sic informantem cœli formam constituunt animam: Fuit hæc sententia olim celeberrima, unde Theophrastus agebat, non esse Philosophum, qui cœlestibus abneget vitam. A Chaldæis primùm promulgata hæc opinio, ab Ægyptiis approbata, indeq; à Platonis per totam Græciam disseminata, & apud Athenienses quidem adeò superstitiosè & pertinaciter propugnata, ut Anaxagoras, cum sidera nec animalia, nec Deos esse diceret, impietatis accusatus

cusatus & condemnatus fuerit. Verum enimvero, considerata doctrina de anima, facillime patebit, coelum non esse praeditum (1) animam vegetante, ex incorruptibilitate & simplicitate ejus ab omnibus praedicata. (2) coelum nec animam sentiente praeditum esse, quia nec videt, nec audit, nec gustat, nec odores vel alias qualitates percipit. (3) Denique nec intelligentem animam coelo competere ex facultatibus illius evidentissime constat. Restat igitur quod coeli forma informans peculiaris prorsus sit, & ad suam materiam determinata, cum qua certam speciem constituat. Verum quamnam ista sit, & quo nomine veniat, Deus novit: verum enim formae soli DEO (*Scaliger* tamen hominis excipit) sunt nota.

XXIII. Nunc ad causas externas progredimur, & quidem primo ad causam efficientem. Causa efficiens coeli est Deus Ter Optimus Maximus, omnium Creaturarum Creator, Ordinator & Conservator, qui intra sex dierum spacium formavit totam mundi machinam, coelum, terram, mare, & quicquid in illis, ab isto παναρισω, τρισμεγισω, & τρισβελτισω, quicquid in rerum natura conspicitur, effectivè dependet in fieri, conservari & operari. Et sicut nihil fortuito aut casu extitit, ita nec spectatissimum hoc coelum ex temerario Atomorum concursu coaluit, sed ab ipso Creatore secundo die teste Scriptura Sacra *Gen. 1.* creatum fuit.

XXIV. Finis coeli est vel summus vel subordinatus. Summus est Dei opificis in tam admirando opere laus & gloria. Omnia enim propter semetipsum Jehovah condidit, *Proverb. 16.* *Enarrant caeli gloriam Dei, & opus manuum ejus annunciat expansum, Psal. 19. v. 1.* Subordinatus vero est, ut sit (1) Universi hujus perfectio. (2) ut alias creaturas suo ambitu capacissimo, & in specie astra in se recipiendo, complectatur. (3) ut inferiorum generationes & corruptiones promoveat, nec non conservet.

XXV. Haec de coeli causis, cum internis tum externis breviter dixisse suffieiant. Nunc affectiones ejus, quarum supra in definitione mentio facta est, considerabimus. Earum vero potissimum sex examinanda nobis veniunt. I. *Quantitas egregia.* II. *Tenuissima subtilitas.* III. *est Invisibilitas.* IV. *Immobilitas.* V. *Incorruptibilitas & VI. Occulta influentia.*

XXVI. Ut autem recto ordine progrediamur, quantitas primo loco nobis occurrit. Quantum esse coelum nemo negabit, nisi tal-

pâ cœcior. Formalis quantitatis ratio est extensio. At hanc cœlo quis neget? maximam etiam cœli esse quantitatem apud omnes in confesso est: Quod & experientia testatur: Siquidem omnia alia corpora naturalia, quæ numero plurima & pene innumera- bilia, & mole maxima sunt, complexu suo continet; estq; recepta- culum & hospitium stellarum, stupendæ sanè quantitatis. Quan- tacunq; verò cœli sit quantitas, infinita tamen non est, cum infi- nitum in quantitate non detur. Deum infinitum esse novimus in essentia: ubi duo infinita nec in naturâ nec extra naturam esse queunt.

XXVII. Exit quantitas cœli, sequitur nunc tenuissima subtili- tas, quâ reliqua corpora omnia superat; apparet autem hæc affe- ctio potissimum ex libera planetarum penetratione ac motu, si- quidem modò ascendunt, modò descendunt, Mars non rarò in- fra Solem se demittit, & Venus supra Solem assurgit, atque ea pro- pter mox terræ propiores, mox remotiores fiunt. Id quod fieri haud posset, si cœlum ex adamantinâ & chalybeâ mole esset com- pactum.

XXIIX. Sequitur nunc ordine ex præcedente affectione sub- tilitatis Invisibilitas, quæ visum non terminat, sed transmittit. Quod enim est summè subtile & perspicuum, videri nequit, siqui- dem ad rem visibilem semper aliqua compactio requiritur, quæ visum terminet & non transmittat. Sed cum tale quid in cœlo non inveniatur, cœlum invisibile esse firmiter concludimus. Licet interdum per se & naturâ suâ visibile esse & vulgus & docti non- nulli affirmant, de quibus infra.

XXIX. Quarta affectio cœli est immobilitas. Aura sanè illa ætheria ob nimiam suam subtilitatem & fluxibilitatem motum illum circulare & constantem recipere nequit. Argumentum verò quo utuntur vulgò levissimum est. Inquiunt: Cujus partes moventur motu circulari, id ipsum circulariter movetur. Cœli partes moventur circulariter, Ergò & cœlum ipsum. minorem probant per motum stellarum, & dicunt stellas esse partes homo- geneas cœli. Verùm ut pisces partes aquæ, & volucres vel homi- nes partes aeris; sic stellæ partes cœli sunt. Sol, Luna & reliquæ stellæ, species corporis naturalis sunt. Et si species sunt, partes

non sunt. Nulla species pars est: nulla pars species est. Et contentum non protinus pars continentis est.

XXX. Sequitur nunc incorruptibilitas, quæ cœlo competit. Nam in cœlo non dantur qualitates contrariæ & Elementares vicissitudines, itaque etiam nec corruptio. Quæcunque corrumpuntur, mista sunt, mistum enim quodlibet ex inimicitiis irreconciliabilibus conflatum est, hinc tandem ruina, hinc rerum interitus fatalis. Tale autem corpus cœlum non esse, sed simplicissimum ex antedictis patet. Proinde firmiter concludimus, cœlum etiam corruptioni non esse obnoxium. Destruet tamen Deus Ter Optimus Maximus aliquando cœlum; qui id creavit & produxit, verum non modò naturali, sed supernaturali, quod quomodò & quatenus sit futurum, non est præsentis instituti exponere.

XXXI. Tandem etiam peculiari aliquâ & occultâ vi (quam influentiam vocant) cœlum hæc inferiora afficere statuimus, licet qua ratione illud fiat, nesciamus. Constat enim cœlum forma specifica, quæ non saltem dat esse & distingvi, sed etiam operari: Nihil in natura otiosum, sed actuosa & negotiosa omnia.

XXXII. Consideratis nunc breviter causis & affectionibus cœli, dicendum esset de cœli partibus, quas stellas & orbis cœlestes faciunt, verum cum stellæ peculiâres sint species, plus sanè differentes à cœlo, quàm raritate ac densitate, orbisq; istos cœlestes non dari nisi in hominum cerebellis putemus, proinde divisionem istam planè negamus, ac cœlum unum continuum expansum esse, in quo astra motu sibi indito feruntur, concludimus. Absolutâ nunc *πραγματολογία*, ad tertium membrum progredimur.

### III. ΖΗΤΗΜΑΤΟΛΟΓΙΑ.

#### I. QUÆSTIO.

An Cœlum sit coloratum & visibile?

Resp: Cœlum per se & naturâ suâ visibile esse, sunt, qui affirmant:

firmant cum Eruditorum tum Idiotarum. Exempla quæ adducunt, desumunt partim ab elemento aëris, aërem enim naturam suam album esse & per se visibilem & aspectabilem; proinde etiam cœlum, quia aëream naturam habeat. Cœlum enim nil nisi aërem ipsum esse persuasum sibi habent. Verum fallunt, qui dicunt, cœlum esse naturæ aëteæ, ut superius dictum. Fallunt etiam, qui aërem albedinem in se habere, & visibilem esse affirmant, aër enim propter subtilitatem suam non videtur. Fallunt etiam, qui, cœlum se nobis præbere videndum colore caruleo, existimant. Color enim iste caruleus qui apparet cœlo sereno, non est realis, neque cœlo competit, sed aëri, qui cum prope nos est, colorem habet nullum, procul habere videtur, ratio est: quia densatur, non per compositionem partium, sed per dispositionem. Distantia namque multas repræsentat partes visui dispositas per longitudinem in linea visuali. *Scaliger. Exercit. 66. Sect. 1.* Huc faciunt etiam verba *Zanchii: Multa apparent in cœlo, cum tamen non sint id, quod apparent, videtur coloratum, modo caruleum, modo rubrum, modo album, cum tamen nullus sit ibi verus color, cap. 3. lib. 3. de operibus Dei.* Eodem etiam modo intelligendum est dictum *Matth. 16. vers. 2. & 3.* ubi Christus attribuit cœlo rubedinem & nigredinem, non enim de cœlo sidereo, sed aëreo, vel maxime de exhalationibus & evaporationibus terrestribus intelligendum est. Concludimus igitur, cœlum non habere colorem, neque per se & suam naturam esse visibilem.

## II. QUÆSTIO.

### An Cœlum habeat figuram, & quænam illa sit?

Resp. De figurâ cœli non fuit apud Veteres consensus. Multi quidem Philosophorum cœlum in ovi figuram conformabant, alii figuram testudinis, alii lentis attribueri non erubuerunt, alii verò cœlum certâ figurâ carere, sed ad quamvis recipiendam idoneum esse dixerunt, rationem dederunt, quia, cœlum naturale nullum sit præter expansum aëreum. Esse verò aërem

B. 3;

corpus

corpus fluidum, quod terminis suis contineri nequeat, sed continentis figuram assumat. Verum cum jam ante constet, quod coelum aliam habeat materiam, aliamque formam, & non sit naturæ aëreæ, missis his opinionibus, dicimus coelum figuram habere, hæc enim perpetuus comes est quantitatis, ita ut ubi quantitas, ibi etiam aliqua figura habeatur, necessum sit, quantitatem verò cœli cognitam habemus ex extensione, proinde ipsi figura, tanquam necessariam consequens deneganda non est. Illa autem est rotunda, non quidem, ut Conimbricenses volunt, ob circularem stellarum & Planetarum motum, non ob eandem perpetuò distantiam, non ob rotundam stellarum figuram, non ob instrumenta astronomica, nec etiam ob summam capacitatem & perfectionem, sed quia hæc figura unioni ac conjunctioni quàm maximè accommoda. Et si cæteris corporibus simplicibus rotundam concessit figuram naturæ Autor, cur cœlo negasset eandem? Rotunda terra est, rotunda aqua, rotundus aër, & in orbem se volvunt igniculi. Idem ergò de cœlo judicium corpore omnium simplicissimo.

### III. QUÆSTIO.

#### An coelum sit in loco.

Affirm. Cum enim coelum sit corpus naturale, constans materia & forma, ut in thesibus dictum, utiq; etiam erit in loco, qui materiam tanquam necessarium consequens insequitur. Et Et nonne esset contradictio juxta sententiam Interpretum, statuere coelum loco moveri, & tamen non esse in loco? Est autem in loco, non Repletivè, quomodo solus Deus est in loco, qui immensitate suâ certo alicui & definito loco alligari non potest. Neq; Definitivè, ut Angeli, qui quidem in certo & definito ubi sunt, sed absq; physicâ extensione, diffusionem & dispersionem. Sed est in certo ac definito loco Circumscriptivè, ob maximam suam extensionem ac diffusionem.

### IV. QUÆSTIO.

#### An coelum agat in hæc inferiora?

Affirm. Sed nunc Directè, nunc Indirectè. Directè in res materiatas & corporeas. Indirectè in res incorporeas & immateriatas.



teriatas. Tantum de Cælo, ejusq; causis & affectionibus dixisse  
sufficiat, sic

CREATORI COELI LAUS HONOR ET GLORIA.

Ad

*Doctissimum Dn. Respondentem.*

**M**ENS cui sublimis cœlestia sidera scandit,  
Et pulchram cœli pensiculat faciem.  
Maeste tuo genio! Vires exponere cœli  
Contende, & factis præmia digna feres.

M. Johan. Sperling/  
Phys. Prof. Publ.

---

**O**Mnia Martis erunt; quâ tellus, quâ patet unda,  
Quaq; videt Phœbus signa Gradivus habet.  
Has inter turbas, detrectans otia, prodit  
PEZELIUS magno sub duce bella movens,  
Materies belli COELUM, campusq; cathedra;  
Ominor, hanc pugnam laurea digna manet.

*Præstantissimo Dno Respondenti,  
Amico & Commensali pl. colendo  
f.*

M. Johan. Ernestus Bornitius  
Fac. Phil. Adj.

Quæ

Quæ poterant tangi digitis oculisq; videri,  
Linqvis, & ingenio mœnia celsa poli  
Scandis, & illorum naturam nosse laboras.  
Dignum laude; operam sic posuisse suam.  
Te quia non piguit spectasse palatia cœli,  
Crede penes Mystras Te manet altus honor.  
Gratulor his ausis, PEZELI, svavis amice,  
Det DEUS ut patriæ commoda multa feras.

*Extemporaneè scribeb. Amicitia  
& benevol. testande*

M. Martinus Bauer  
Lobenst. Variscus.



05 A 1931


ULB Halle 3  
003 785 114



1017  
60.







DISPUTATIO PHYSICA  
DE  
COELO,

44  
*Quam*  
DUCE AC AUSPICE CHRISTO,

*In*  
Florentissima ad Albim Academia,

SUB PRÆSIDIO

VIRI

CLARISSIMI ATQUE EXCELLEN-  
TISSIMI,

DN. M. JOHANNIS Sperlings /

Physicæ Professoris Publici Dignissimi, Præcepto-  
ris, Fautoris & Promotoris sui omni observantiæ  
cultu suspiciendi,

*Publicè examinandam proponit*

JOHANNES PEZELIUS

Lengenfeldensis Variscus, A. & R.

*Ad diem II. Januarii,*

In Auditorio Majori, horis matutinis.

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.  
Anno c<sup>o</sup> 1<sup>o</sup> CXLIV.

46